F. F. E. Elbe:
diss. in. m.
[de] syphilidis origine et curatione.
Berolini. (1828.)

SYPHILIDIS ORIGINE ET CURATIONE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

N MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

IE XIII. MENS. OCTOBRIS A. MDCCCXXXVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRIDERICUS JULIUS EDUARDUS ELBE

BORUSSUS-ORIENTALIS.

OPPONENTIBUS:

I. VOGELGESANG, MED. ET CHIR. DR.
I. NEUMANN, MED. ET CHIR. DR.
C. WILL, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,
TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.

A V U N C U L O

OPTIMO, DILECTISSIMO

JOH. BRODTHAG,

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Artem medicam non tam fictis hypothesibus et verborum concertatione, quam sincera experientia et observatione evehi posse ad fastigium perfectionis, neminem fore puto, qui eat infitias, quum opinionum commenta ad cognitionem et curationem morborum incerta tantum et vana attulerint. Attamen permulta sunt in morborum genesi et incremento, quibus nullo alio modo lucem affundere possumus, nisi scriptorum sententiis diligenter perpensis. Et hoc quidem ad eum morbum imprimis pertinet, de quo hic loci nonnulla afferre mihi proposui, quippe prima syphilidis vestigia a temporibus vetustioribus repetenda viderentur, quibus medici accuratiore morborum cognitione destituebantur. Quo factum est, ut etiam nunc diversissimae opiniones, magis minusve inanes, de eius origine doctissimos quosque medicorum irretiant. Pariter etiam de curatione morbi venerei magna opinionum dissensio viget, quae nondum plane componi potuit. Alii enim Mercurii praeparata unicum remedium salutare et quasi specificum esse contenderunt, alii nihil magis perhorrescunt atque detestantur, quam istud venenum efficacissimum, alii neque hydrargyro, neque methodo antiphlogistica,

ab Anglis dicta, certum eventum obtineri posse censent, alii in casibus gravioribus Mercurio magis, in levioribus medicationi purganti et evacuanti fidunt. Quae quum ita se habeant, operae pretium fore existimavi, si omnia, quae ad hanc illamve sententiam comprobandam possint afferri, colligerem atque eam opinionem, quae mihi optima videretur, argumentis fulcire conarer. Quaestionem autem, ne propter nimiam materiae copiam fines dissertationis inauguralis excederem, in duo capita dividere placuit, quorum in priore de genesi syphilidis, in altero de eius curatione agam.

CAPUT PRIMUM.

De origine syphilidis.

Omnes omnino, luis venereae symptomata, decursum, naturam atque curationem exponentes, simul originem huius morbi respexerunt, quam alii ad tempora antiquissima, alii ad recentiora retulerunt. Sunt enim, qui genus humanum jam antiquitus vexatum esse censeant morbo isto gravi, coitum impurum subsequente, atque genesin eius parumper differre a principio reliquorum morborum, quibus homines prae ceteris animalibus laborent. Altera pars scriptorum certo quodam temporis momento, rerum angustiis et belli calamitatibus con-

iunctis, ex variorum malorum connubio morbum contagiosum exortum esse existimant, qui initio genus humanum acerrime infestaverit, postea autem in formam mitiorem transierit, qualis hodiequoque observetur. Tertia pars, contagione potius ex gentibus peregrinis vel adventitiis inductam esse luem veneream, contendit, atque sensim sensimque per reliquam Europae partem divulgatam. Omnes rationibus haud ita levibus innituntur ad sententiam suam confirmandam, neque facile est diremtu, quinam propius ad verum accesserint. Quare optimum videtur, singulas sententias inter se atque argumenta cum argumentis diligenter comparare.

Primum, qui antiquitus morbum istum exstitisse judicant, praecipue ad nonnullos librorum sacrorum locos provocant. Prae ceteris enim illud dictum huc referendum est, quod in tertio Mosis libro [1]) invenitur, descriptionem innuo fluxus urethralis, quo viri sunt affecti, atque fluoris albi, qui apud mulieres occurrit; neque inanem esse credo sententiam eorum, qui ex hac descriptione antiquitatem gonorrhoeae derivant. Quodsi enim hoc caput decimum quintum simul cum tertio decimo et quarto decimo diligenter perlegeris, dubitare vix poteris, quin morbus illic descriptus confundi nequeat cum lepra orientali, de qua in capitibus praecidentibus agitur. Schönlein [2]) quidem in prae-

---

1) Levitic. cap. XV. vers 1 — 23.

2) Schönlein. Allgemeine und specielle Pathologie und Therapie Vol. IV. pag. 160.

lectionibus suis fluxum istum, loco citato descriptum, leprosum habendum esse dixit; quibusnam autem argumentis ad hanc sententiam ferendam adductus sit, equidem intelligere non possum. Jam quod ad ordinem pertinet, quem in descriptione morborum contagiosorum apud Mosem invenimus, in capite tertio decimo perfectam symptomatum enumerationem legimus, quibus veteres Judaei lepram orientalem cognoverunt, simul cum indiciis diagnosticis, quibus ab ulcere simplice, abscessu, ambustione et tinea capitis differat. Tum cautelae afferuntur, quae imprimis ad tempus, valetudini spectandae praestitutum, et vestimentorum deletionem spectant. In capite quarto decimo perpurgatio convalescentium, qui lepra affecti fuerunt, longe lateque exponitur, tum vero in quinto decimo de alio morbo contagioso, minus tamen pernicioso, agitur, quem leprae affinem esse, ex nullo auctoris verbo ratiocinari licet. Est enim fluxus urethralis, quem contactu propagari posse, satis patet, ita ut imprimis coitu a viris ad feminas transferatur. Hoc autem malum tantummodo ad partes genitales pertinet, neque ullo loco auctor commemorat, lepram ipsam ex eo oriri posse. Permultae quidem cautelae simul praecipiuntur, quas autem ad munditiem magis, quam ad contagionem referendas esse, satis constat, quum Judaei etiam a pollutionibus nocturnis atque, menstruis [1]) simili modo abhorruerint. In eodem enim capite ista immundis ad-

---

1) Moses l. c. vers 16 et 19.

numerantur, ad quae deponenda balneo atque abstinentia opus sit; id, quod pro temperie illius regionis atque exiguo physiologiae cultu minus est mirandum. Haec igitur descriptio, quae in gonorrhoeam optime quadrat, ab iis, qui antiquam syphilidis originem defenderunt, ad ipsorum sententiam comprobandam relata est; ac, ni fallor, etiam circumcisio praeputii, apud Judaeos antiquitus usitata [1]), magni momenti est, ad eandem rem diiudicandam. Quis enim credat propter munditiem solam, vel aliam quandam causam arbitrariam, hanc operationem esse institutam, qua contagionem non mediocriter caveri, elucet? Glans penis enim, quae apud reliquos membrana mucosa obtegitur, ad virus resorbendum aptissima, in iis, qui praeputio sunt privati, ita commutatur, ut epithelii locum epidermis tenuis obtineat, quae, uti experimenta physiologica docuere, multo minus idonea est ad materiam alienam excipiendam.

Nonnulli praeter illam gonorrhoeae descriptionem supra citatam etiam in morbo, quo Jobus vexabatur [2]), syphilidis vestigia quaesiverunt. Hanc autem coniecturam verisimilem esse, vix crediderim, quum mihi illud malum magis cum lepra orientali consentire videatur.

---

1) Moses lib. I. cap. XVII. vers. 10—12. Circumcisio non a Mose praescripta, sed iam vetustissimis temporibus in usu fuit, ita ut ad Abrahamum usque referatur.

2) Hiob. cap. II. vers. 7.

Praeterea aliud exstat indicium, quo antiqua syphilidis genesis ostenditur. Astruc enim in opere amplissimo, quod de morbis venereis edidit, edictum Joannae, reginae utriusque Siciliae, commemorat, quod iam anno millesimo trecentesimo quadragesimo septimo non solum lenonias aedes Avenii condi iubet, sed etiam providentiam imperat ad infectionem cavendam. Maximi autem momenti ea edicti pars est, qua imperatur, ut quovis Saturni die chirurgus ad ganeam mittatur meretrices inspecturus atque eas, quae per fornicationem ullo morbo affectae essent, submoturus. Praeter haec documenta nulla quidem certa indicia innotuerunt, quibus, luem veneream iam inter veteres divulgatam fuisse, eluceat, et, quamvis nonnullae ab iis commemorentur partium genitalium affectiones [1]), ulcerationes, etc; tamen accuratior descriptio, imprimis quod ad contagiosam vim et decursum morbi pertinet, plane desideratur.

Quaenam prorsus refragentur sententiae nostrae, infra enucleare liceat; hoc autem iamiam addendum est, epistolam exstare, a Petro Martyro anno millesimo quadringentesimo octogesimo octavo conscriptam [2]), ex qua syphilidem ipsi notam fuisse, patet.

Altera pars scriptorum, quae magis ad naturam syphilidis contagiosam videtur respexisse, ori-

---

1) Vitia obscoenarum partium apud Celsum.

2) W. Lawrence. Vorlesungen über Chirurgie. Vol. I. pag. 383.

ginem eius aetati seriori tribuit, et maxime quidem exeunti seculo quinto decimo. Horum plurimi morbum istum ex America ad Europam deportatum esse contenderunt. Quamvis autem variis argumentis, hanc opinionem verisimillimam esse, docuerint, tamen non possum, quin totis viribus ei obnitar. Ac mihi quidem nullae exstare videntur rationes certae, sed solum hypotheses, quas non licet sequi, experientia contrarium affirmante. Nulla enim inventa sunt indicia, ex quibus, syphilidem ante Americam detectam in hac terra vulgatam fuisse, conjectare debeas. Girtanner quidem in opusculo suo de morbo venereo non solum huius sententiae propugnator exstitit, sed etiam genesin contagii syphilitici, qualem animo suo conceperat, longe lateque exposuit. Verisimile esse, ait, virus syphiliticum ortum esse ex ulcere ictum insecti cuiusdam subsequente, Pulicis penetrantis L., in America meridionali Tschike vocati. Mulieres americanas, libidine immensa agitatas, viris non solum potus excitantes praebuisse, sed etiam inter somnum ista insecta virosa ad genitalia applicuisse tradit, ad salacitatem eorum augendam. Vulnera autem, hinc orta, in ulcera maligna abiisse, margine albido et duro praedita, qualis in ulcere syphilitico conspicitur. Hoc autem virus ad vaginam translatum ibi similia ulcera provocasse, et hinc etiam alios viros eodem modo esse affectos. Attamen haec fabula, quam Girtanner ita narravit, tanquam ipse adfuerit, ita hypothetica est et ficta, ut fundamento firmo vix et ne vix quidem nitatur.

His autem missis, ne ii quidem recte agere

videntur, qui ad historiam solum respiciunt. Quamvis enim Columbus die quarto m. Martis anni millesimi quadringentesimi nonagesimi tertii ad Europam redierat, tamen ne ullus quidem auctor narravit, in Castilia, ubi primo post reditum tempore versatus est, illum morbum increbuisse, vel inde Barcelonam esse translatum. Attamen Forello [1]) in opere suo, de pudendagra inscripto, dicit: „incepit haec maligna aegritudo anno 1493 in Albano.“ Neque magis credendum est, quum iterum ex America anno millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto ille rediret, morbum venereum inde attulisse, id quod alius auctor, Oviedo [2]), verisimile habet. Hic enim censet, milites hispanicos, quibus Gonzalez de Cordova imperavit, tali modo veneno esse infectos, et hinc luem ad Italiam transtulisse, quum Messanam naves adpulissent. Hanc quoque opinionem falsam esse, inde liquet, quod illae naves Hispaniam reliquerant, antequam Columbus redierat. Porro neque Carolum octavum, regem Galliae, qui anno millesimo quadringentesimo quarto in Italiam irrupit, atque die 31. m. Octobris Roma capta, mense Februario anni insequentis Neapolin venit, istam pestem secum tulisse, credendum est, quum Fulgasius in opere suo diserte scripserit: „antequam Carolus advenit, nova aegritudo inter mortales detecta, cui nec nomen dare, nec remedia opponere medici scierunt.“

---

1) Caspar Forello, de pudendagra pag. 493.
2) Schoenlein, l. c. pag. 161.

Quum igitur omnia indicia desint, e quibus, syphilidem in Hispania incepisse, pateat, non ausim eius originem ad Indiam occidentalem detectam referre, praesertim quum nomen, quod a principio illi pesti est inditum, plane aliam genesin indicet. Primo enim lues venerea [1]) morbus gallicus vocata est, quod nomen hodiequoque in Germania et Anglia usitatissimum est. (Die Franzosen, the frenchbooks). Galli vero ei nomen „mal de Naples" dederunt, nunquam autem morbum hispanicum, aut americanum, appellarunt [2]). Haec quoque res haud parvi momenti est ad varias coniecturas diiudicandas.

Secunda sententia de syphilidis genesi refutata, de tertia nonnulla addenda sunt, quae ad Maranos, gentem Judaicam, eius originem refert. Sub finem enim seculi quinti decimi Judaei, summas crudelitates perpessi, Hispania expulsi sunt et ad

---

1) Syphilis, lues venerea, morbus venereus, pudendagra, mentagra, morbus St. Rochi, morbus gallicus, mal de Naples, Gallis, the frenchbooks Anglis, mal francese s. morbo gallico Italis etc.

2) Cognomen „Syphilis" multo post est adhibitum, neque satis apparet, unde sit derivandum, quamquam mihi verisimillimum est, ex graecis *συν* et *φιλία* esse compositum. Praeter hanc derivationem duae aliae exstant: secundum Fracastorium enim, qui anno 1514 de morbo gallico librum edidit, Syphilis nomen pastoris cuiusdam fuit, qui primus illo malo affectus erat. Alii ad vocem „*συς*" respiciunt, ita ut syphilidem vertant: amorem porcinum.

alias terras, imprimis Italiam confugerunt. Hos lue venerea fuisse affectos, praecipue Gruner et Hensler [1]) contenderunt. Vix tamen hoc verisimile est, quum Marani non solum ad Italiam, sed etiam ad Batavos, Anglos, Germanos commigraverint et quum accuratior historiae cognitio, eos non syphilide, sed typho petechiali laborasse, ostenderit [2]).

Sydenhamus credidit per Aethiopes servos morbum venereum esse allatum ex Guinea. Attamen ne huic quidem opinioni certa argumenta suppetunt. Restat igitur, ut ad sententiam eorum redeamus, qui morbi venerei originem antiquissimam habent, praesertim, quum ea, quae supra e libris sacris aliisque attulimus, hanc coniecturam quam maxime confirment. Hic autem auctores in duas partes discedunt, illis virus syphiliticum tale, quale apud nos occurrit, a principio fuisse censentibus: his autem, cum viro leproso atque alio quodam miasmatico commixtum esse, et ita certam illam morbi speciem constituisse, dicentibus. His iam Theophrastus Paracelsus ad numerandus est, qui contagium leprae orientalis et syphilidis veteris ita confluxisse contendit, ut triginta annis post, quam nova syphilis exstiterit, lepra multo levior et benignior evaserit. In Gallia enim ante hoc temporis momentum hospitia, ad eos, qui lepra affecti erant, excipiendos constituta

---

1) Hensler Geschichte der Lustseuche, die zu Ende des 15ten Jahrhunderts auftrat. Wien 1823.

2) Schoenlein l. c. pag. 162.

numerum viginti millium excesserunt, paulo post autem plane supervacua facta sunt.

Huic opinioni nuperrime etiam cl. Sachs [1]) assentitur, inter eos, qui miasmaticam syphilidis originem tuentur, atque Paracelsum inter quasi medium tenens. Is enim praeter syphilidem veterem et lepram orientalem etiam typhum bellicum contagiosum accessisse censet, quorum ex connubio morbus noster acerrimus compositus sit, qui ab initio genus humanum adeo infestaverit atque vitam hominum acutissime everterit. Hoc miasma typhosum permagnam cum contagio syphilitico affinitatem habuisse, affirmat, id quod iam inde pateat, quod novissimis temporibus, ophthalmia aegyptiaca indolem epidemicam impetrata, etiam ophthalmiae gonorrhoicae percrebuerint. Postea autem, typho contagioso ablato, morbum quoque venereum mitiorem esse factum et sensim sensimque eam formam adscivisse, quam hodie ostendere soleat. In quibusdam modo regionibus, v. c. in Hispania, etiamnunc maiorem leprae similitudinem praebere. Hanc sententiam admodum esse verisimilem, negare non possumus, si ad remedia usitatissima spectamus, quibus primis temporibus medici morbum incognitum impugnarunt. Hydrargyrum enim, quod medio aevo efficacissimum leprae remedium habitum est, et Guaiacum, quo nos quo-

---

1) L. W. Sachs und Ph. Dulk, Handwörterbuch der practischen Arzneimittellehre. Vol. II. Abtheilung 1. p. 634.

que optimo cum eventu in cachexiis impetiginosis uti solemus, medicamina antisyphilitica validissima fuerunt. Guajacum autem adeo celebratum est, ut Ulricus ab Hutten panegyricum de eo scripserit.

Attamen, quis est, qui dubitet, quin haec quoque opinio hypothetica sit habenda, quum contagii leprosi et syphilitici connubium per coniecturam tantum assequi possimus, neque experientia illud docuerit. Praeterea leprae orientalis, qualis tum temporis fuerit, perfecta descriptio deficit, neque nunc in syphilidis symptomatibus alia leprae similitudo invenitur, quam exostoses atque tuberculosa impetiginum species.

Hinc sequitur, modo antiquam luis venereae genesin summo iure defendi posse, ingeniosam autem illam hypothesin in dubio esse ponendam. Propria enim contagiorum indoles adhuc nimis ignota est, quam quorum affinitas possit cognosci.

CAPUT SECUNDUM.

De curatione syphilidis.

Quum sub finem seculi quinti decimi lethifera illa pestis exstitisset, quae medicis ita ignota fuit, ut ne ullum quidem remedium efficax invenire possent, tamen sensim sensimque, experimentis caute institutis, medicamina salutaria instituerunt. Anno millesimo quingentesimo duodecimo hydrargyrum[1]) primo ad luem veneream curandam adhibitum est; quamvis autem Franciscus primus Galliae rex, talibus pilulis a Barbarossa acceptis sanabatur, tamen plures anni elapsi sunt, priusquam omnes ad hoc remedium confugiebant. Guajacum inprimis permagni aestimatum est, quod hodie quoque hoc in morbo multo rarius adhibetur, nisi forte ad vim hydrargyri adiuvandam cum speciebus ad decoctum lignorum. Triginta annis post hydrargyri usus adeo evulgatus est, ut medici omnes hoc solo morbum venereum depelli posse, censerent, atque mercurium specificum eius antidotum nominarent. Hanc rem ita se habere, omnibus persuasum erat, ita ut nullum axioma firmius et certius esse existimarent. Tribus autem seculis elapsis, ab Anglis primum alia sententia promulgata est: syphilidem absque hydrargyro multo melius et certius curari posse; mercurium ad virus venereum extinguendum minus valere, quam ad cachexiam in mercurialem commutandam; corpus humanum veneno illo matallico ita imbui,

---

1) Schoenlein l. c. pg. 219.

ut postea gravius affectum sit. Medicus quidam Anglicus, Rose[1]) primus fuit, qui in curatione syphiliticorum omni hydrargyri usu abstinuit, atque omnia symptomata primaria methodo antiphlogistica sic dicta impugnare coepit. Postquam in manipulo militum terrestrium, quorum morbis curandis praefectus erat, per duos annos haec experimenta instituerat, atque praeter remedia simplicia, laxantia, salina, diaetam parcam et quietem nulla alia medicamina adhibuerat, etiam symptomata secundaria eodem modo auferri posse, judicavit. Nec spes eum fefellit, sed aegroti hac symplice curatione in integrum restituebantur, interdum multo citius, saepissime autem serius, quam hydrargyri usu id fieri solet. Haec experimenta, primum a Rose facta, tum in exercitu Anglico iterata sunt et fere semper eodem cum eventu, ita ut nunc apud Anglos pro axiomate habeatur, curationem simplicem semper sufficere ad valetudinem redintegrandum, interdum tantummodo adiuvari et accelerari hydrargyri usu. J. Thompson, medicus Edinburgensis, iam dudum simili curationis methodo usus mercurio plane abstinet et aegrotos, tam primario quam secundario morbo affectos, multo melius sanari, sibi persuasum habet, graviores autem syphilidis casus, qui antea adeo frequentes erant, mercurio ipso non solum ingravescere, sed maxima ex parte provocari contendit.

---

1) Medical chirurgical Transactions. Vol. VIII.

Hae sententiae, quibus omnes fere medici Anglici adstipulabantur, ab aliis Asclepiadis sectatoribus aut magno plausu, aut vituperio sunt exceptae, plerisque censentibus, totum corpus humanum cachexia syphilitica penitus obrui, nisi remedium illud specificum, tot annorum spatio comprobatum, ei opponatur. Attamen experientia, qua mercurii vis salutaris adeo confirmari videbatur, etiam simplicem curationem[1]) non vanam esse, ostendit. Ut alia omittam, Hamburgi in nosocomio magno urbano, quod ill. Fricke duce floret, omnes syphilitici ex pluribus annis simpliciter curantur, atque facile malis suis liberantur; nec non Berolini in nosocomio Caritatis fere nunquam hydrargyrum adhibetur.

Hanc celerem sententiarum vicissitudinem non temere factam esse, sperandum est, quamobrem paucis ea memorare liceat, quibus tam repentinus transitus ex contrario in contrarium explicetur.

Ac primum quidem memoratu dignum est, medicos Anglicos non revera omnium primos fuisse, qui hydrargyro in morbo venereo curando abstinuerint. In meridionalibus Europae terris, Lusitania, aliisque, ubi syphilis mitiores formas ostendere solet, etiam curatio multo simplicior ex usu est. Ibi medicaminibus diureticis et diaphoreticis syphilis primaria facile sanatur. Quid mirum igitur, quod medici Anglici, qui regiones meridionales saepius

---

1) The simple treatement apud Anglos.

adire solent, magno hydrargyri taedio incensi, cuius usus in dies frequentior reddebatur, ad curationem contrariam confugiebant, qua magna mercurii damna evitari posse sperabant? Hoc eo facilius intellectu est, quod Anglia ipsa temperiem terrarum meridionalium haud dissimilem habet et quod mercurii usus pessime conciliari soleat cum maris vicinia. Aër maritimus enim ad dyscrasiam mercurialem et scorbutum provocandum valde idoneus est. Denique secundum Schoenlein[1]) alia res maximi momenti huc spectare videtur. Syphilidis enim genius epidemicus, si ita dicere licet, ex viginti annis multo benignior factus est, ita ut species impetiginosae frequentiores evaserint, quam graviores ossium affectiones. Itaque ab hydrargyro abstinere facilius licet, quum eae luis formae, quae eo usque tantum inunctione mercuriali, vel alia methodo efficacissima auferri potuerunt, rarius occurrant. Quaenam autem medicorum pars rectius agat, nondum extra omnem dubitationem positum est, quamquam facile fieri potest, ut post paucorum annorum spatium methodus antiphlogistica victrix evaserit. Hoc saltem iamiam patet, specificam illam hydrargyri vim proprie non adesse, quum permulta exstent exempla, quae luem veneream ulcera syphilitica primaria secutam esse, quamvis curatio mercurialis aptissimo modo adhibita esset, comprobant. Quum medicis in universum certum

---

1) Schoenlein l. c. pag. 220.

criterium desit, utrum syphilitici radicitus sanati sint, nec ne, etiam nulla curationis methodo lues certo caveri potest. Praeprimis autem hoc tenendum est, experimenta accuratissima docuisse, methodum antiphlogisticam non minus radicalem sanationem efficere, quam mercurialem. Syphilis enim secundaria illam non saepius sequi solet, quam hanc, dummodo apte et satis diu sit adhibita. Observationes, in nosocomio Caritatis Berolinensi institutae, [1]) satis manifeste docuerunt, utramque curationem in universum easdem offerre rationes quod ad luis eruptionem. Sachs [2]) quidem recte dicit, tales observationes clinicas de syphilidis eruptione minoris esse momenti, quod aegroti nimis celeriter e medicorum conspectu auferantur atque haud raro aliquanto post lue universali corripiantur, quamvis ex nosocomio sanatorum instar dimissi sint. Magna autem commoda, quae curatio simplex praebet, non amplius nos fugere possunt; quum complicatio illa teterrima luis venereae et dyscrasiae mercurialis plane evitetur, et quum illi aegroti in dies rariores fiant, qui contagio venereo omnia simul corporis systemata inprimis glandularum et ossium, aeque ac veneno metallico imbuerunt, indeque per totam vitam debiles manserunt. Curatio mercurialis ante hos paucos annos omnium usitatissima, a multis pertinacissimo modo ita adhibita est, ut omni medi-

---

1) J. N. Rust: Aufsätze u. Abhandlungen. Berl. 1834. Vol. II.
2) L. W. Sachs u. Dulk Handwörterbuch der practischen Arzeneimittellehre. Vol. II. 2. Abth. pg. 181.

catione ulcerum locali abstinerent, atque solo mercurio, per os ingesto, valetudinem instaurare molirentur. Hanc methodum semper exsequendam censebant, etiamsi ulcera recentissima et quasi proxima contagionis sequela essent. Quamquam autem medici ad alia contagia eliminanda iam dudum substantiis chemicis, ad ea destruenda aptis, usi sint, v. c. in morsu rabidi canis, gangraena nosocomiali aliisque, tamen in morbo venereo hoc propterea a re alienum esse censebant, quod nullum aliud curationis radicalis indicium exstaret, quam ulcerum ipsorum adspectus. Quid vero si lues universalis plus semel erupit, quamvis ulcera primaria sine ulla curatione locali sanata essent? Hoc enim saepius accidisse, experientia docuit. Ulcera syphilitica pariter ac alia quaelibet naturae medicatricis conamine sanari possunt, quamvis tum quoque, sive virus syphiliticum remediis localibus destructum erat, sive immutatum, symptomata morbi universalis insequi possint, bubones, ulcera faucium, exanthemata syphilitica. Bubones secundarios hac solum resorptione exoriri, omnes fere medici consentiunt. Quum res ita se habeat, illam curationis methodum, quae ab omni medela locali abstinet, cum ill. Schoenlein[1]) omnium pessimam nominandam esse existimamus; ulcera syphilitica hac ratione in mercurialia et scorbutica commutata esse, experientia ostendit.

---

1) Schoenlein l. c. 219.

Jam quaerendum est, quibusnam rebus curatio mercurialis methodum antiphlogisticam superet, quum etiamnunc a permultis medicis praeferatur. Secundum ea, quae supra exposita sunt, hoc praecipue eam ob causam fieri potest, quod mercurius in universum syphilidem citius depellere solet. Quum igitur tali modo et aegrotus et medicus eventum celeriorem sortiatur, nemo curationis methodum omittere audet, quae a plerisque specifica habetur.

Omnia alia commoda, quae ad mercurium magis sint referenda, experientia non comprobavit; haec magis a medicis ficta et praeiudicio firmata sunt. Attamen tantum abest, ut hanc obrem hydrargyrum plane repudiare audeam, ut remedium antisyphiliticum efficacissimum habeam; lubentissime enim ad hoc confugerem, si reliqua me defecissent. Illud autem unicum esse, nunquam concedam. W. Sachs [1]) efficaciam hydrargyri optime exposuisse videtur, dicens: hoc medicamen omnem vegetationem subvertere, nutritionem et sanguificationem minuere et colliquationem [2]) artificialem provocare. Methodi antiphlogisticae notionem haud aliam esse, idem auctor [3]) luculenter ostendit. Hydrargyri vim variae scholae medicorum vario modo explicare studuerunt, aliis in irritatione, aliis in irritamenti detractione maximum

---

1) L. W. Sachs l. c, pag. 87.
2) eodem loco pag. 90.
3) eodem loco pag. 176.

eius effectum cerni, censentibus. Alii vasorum lymphaticorum resorptione adaucta curationem effici contenderunt, alii in eius odore specifico vim antisyphiliticam posuerunt. Schoenlein [1]) autem, alia metalla respiciens, cuprum, plumbum, arsenicum, aurum, quae et ipsa ad remediorum antisyphiliticorum numerum relata sunt, naturam eius metallicam maximi aestimat ad eius vim explicandam.

Quaenam harum explicationum proxime accedat ad veritatem, certo quidem dirimi nequit, quamvis ea, quam ill Sachs proposuit, verisimillima mihi videatur. Et hanc illustrissimo Schoenlein non plane repugnare, inde liquet, quod omnia metalla magis minusve vegetationi inimica sunt. Nonne vero hoc modo diaetae parcae, methodo antiphlogisticae et curationi mercuriali eadem notio subesse videtur? Mercurius et laxantia indirecte idem efficiunt, quod fames: nutritionem coërcent, resorptionem augent et hac ratione eliminationem materiae virosae adiuvant.

Postquam in pagellis praecedentibus omnia exposui, quae ad variarum methodorum commoda diiudicanda valere possunt, subfinem huius dissertationis ea hydrargyri praeparata enumerare liceat, quae apud nos in variis syphilidis speciebus spectatissima habentur; et hic quidem ill. Rust [2]) maxima ex parte sequar, quippe qui, experientia edoctus,

1) Schoenlein l. c. pag. 177.
2) T. W. Rust l. c. pag. 390.

de hac re optime scripserit. Quaecunque species admodum inflammatoriae apparent, optime hydrargyro muriatico miti impugnantur. Huc referendi sunt bubones, phimosis syphilitica cet, praesertim si in hominibus plethoricis occurrunt. Tunc etiam methodus, quam Weinhold[1]) primus proposuit, bono cum effectu adhibetur. Ulcera faucium, ozaena syphilitica, iritis syphilitica, quaeque aliae exstant formae luis universalis perniciosae et celeriter increscentes, hydrargyrum muriaticum corrosivum exposcunt, vel secundum Dzondii methodum, vel aliam experientia comprobatam. Mercurius sublimatus aptissimus est ad formam affectionum celeriter emendandam, minus autem idoneus ad curationem radicalem efficiendam, vel morbum recidivum cavendum. — In exanthematis syphiliticis hydrargyrum oxydatum rubrum optimo cum eventu datur, praesertim coniunctum cum aethiope antimoniali, secundum Berg. Denique inunctiones mercuriales aptissimae sunt in qualibet ossium et ligamentorum affectione syphilitica, in exsudationibus lymphaticis, intra articulos vel oculum exortis, in destructionibus organicis atque perversa tractus intestinalis conditione, quae usum mercurii internum non permittit.

---

1) Longum est, singulas harum methodorum rationes exponere, ideoque hanc rem vulgatissimam hoc loco plane omittam. Attamen omnes illas rationes satis expositas apud Chelium Vol. I. pag. 446 etc. legimus.

VITA.

Ego, Fridericus Julius Eduardus Elbe, evangelicae confessioni äddictus, Friedrichschuldae, pago Borussiae orientalis, natus sum anno MDCCCXIV patre optimo Friderico, pagi illius possessore, quem mortuum iam multos annos lugeo, matre dilectissima e gente Jopin. Pri-

mis literarum elementis eruditus Regiomontum me contuli, ibique in Gymnasium Palaeopalatinum receptus sum; quo relicto, Gymnasium Gryphiswaldense adii, quod tunc Directore optime merito Breithaupt floruit. Ibi me erudiverunt clarissimi viri Breithaupt, Glasewald, Paldamus, Canzler, quibus omnibus praeceptoribus gratias quam maximas publice nunc ago. Testimonio maturitatis instructus, autumno anni MDCCCXXXIV universitatem literarum Regiomontanam adii, ubi ab Ill. Gebser t. t. Prorectore Magnifico, civibus academicis et ab Ill. Sachs, t. t. Decano maxime spectabili, albo Medicorum adscriptus, prolectionibus his interfui. Docucrunt me Ill. Rosenkranz logicen, Ill. Meyer botanicen generalem et specialem, Cel. Moser physicen, Ill. Dulk chemiam experimentalem, phytochemiam, zoochemiam et pharmaciam; Cel. Burdach jun. osteologiam, syndesmologiam, angiologiam, myologiam, organologiam, neurologiam et artem cadavera hominum rite secandi; Ill.

Burdach sen. physiologiam et anatomiam generalem; Ill. Rathke zoologiam; Ill. Seerig chirurgiam generalem et specialem, operativam et ophthalmologiam; Beat. Dietz nosologiam et therapiam specialem; Ill. Hayn artem obstetriciam et theoreticam et practicam. Praeterea scholas clinicas et policlinicas chirurgico-ophthalmologicas duce Ill. Seerig, clinicum et policlinicum medicum; Ill. Sachs, majocomicum et policlinicum obstetricium Ill. Hayn frequentavi. Ad almam Fridericam Guilelmam autumno anni MDCCCXXXVII. profectus ab Ill. Boekh, t. t. Rectore Magnifico, receptus et ab Ill. Wagner, t. t. Decano maxime spectabili, medicinae studiosis adscriptus, exercitationibus clinicis virorum illustrissimorum et celeberrimorum Barez, Rust, Wolff, Truestedt interfui, praelectionesque de medicina forensi Ill. Wagner audivi. Quibus omnibus viris summe venerandis gratias maximas habeo semperque habebo. — Tentamine philosophico, medico et examine rigoroso rite absolutis, spero

fore, ut hacce dissertatione publice defensa, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur. —

30.

THESES.

1. Foetus ad perfectam evolutionem usque matris imaginationi est obnoxius.
2. Sanguinis circulatio non contractione cordis sola peragitur.
3. Inflammatio non est aucta vis vitalis.
4. Amputatio partis vulneratae in tetano est reiicienda.

77.